

ne omnia præsertim Mendicantium, à jurisdictione & subjectione Episcoporum subtrahi cœperunt: atque Ordinum regimen ad formam Reipublicæ vel universitatis redactum est, nec non Regularibus concessa fuerunt indolte Clericandi, sacrosque Ordines suscipiendi, ac etiam Sacramenta, aliaque divina ministrandi, factum est, ut frequentissimæ essent Regularium quæstiones & difficultates, vel inter ipsos Religiosos in eadem Religione; vel inter diversarum Religionum Professores; vel cum locorum Ordinariis; aut cum Parochis, & cum Capitulis Canonicorum aliisque Clericis secularibus.

IV. Porro cum etiam ex Juris Communis dispositione, Religiosorum causæ, non per juris apices, neque cum tela judiciali, sed summarie, ac potius in forma extrajudiciali tractari debeant, Sixtus V. inter plures à se erectas Congregationes, hanc quoque erexit, super negotiis Regularium, eam conjungendo cum altera super negotiis Episcoporum, "Ita ut (ait De Luca dicto *discursu num. 15.*) unam eamdemque constituant; & merito, ob hujusmodi negotiorum frequentem connexionem, ut ita more Principis, absque strepitu & figura iudicii & absque processu vel tela judiciali, summarie, sola facti veritate inspecta, & quantum, imò frequentius, etiam per solas extrajudiciales, ac secretas informationes, controversias terminet, prudentialiter regulas sapiens adhibendo potius, quam rigores legales."

V. Unica ergo est hodie Congregatio *super negotiis Episcoporum & Regularium*; cum tamen in ipsa Sixti V. Constitutione duplex sit Congregatio: una nimirum quæ dicitur, *pro consultationibus Regularium*; altera verò, *pro consultationibus Episcoporum & aliorum Prælatorum*.

VI. Cum ergo duplex hæc Congregatio in unam redacta sit, recte monet Cardinalis De Luca *Discurs. 16.* in Relatione Romanæ Curie, quod hæc Congregatio duo peragat negotiorum genera, scilicet Episcoporum & Regularium; quæ propterea, ait idem, quoad negotia Curialia fori Ecclesiastici quæ non concernunt fidem, sed ad Christianæ Reipublicæ regimen spirituale pertinent, videtur omnium major, ideoque majorem habere solet numerum Cardinalium, ob majorem negotiorum multipliciter.

VII. Quin & eodem Cardinale teste, "Hæc Congregatio dicitur occupatissima, atque in negotiorum multitudine omnium major ob faciles recursum, querelas, & contentiones Regularium."

VIII. Congregatio merè Cardinalitia vocatur; quia nullos præter Cardinales alios inferiores Prælatos habet, nisi unum, qui Secretarii officium exercet, à quo Litteræ & Decreta Congregationis scribuntur & signantur; unâ cum subscriptione unius è Cardinalibus, qui *Cardinalis Præfectus* appellatur.

Hæc Congregatio haberi consuevit feria sexta cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apostolico.

IX. "Causas Regularium non solum publicas sive super regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatas inter Religiosos sive per electionibus, officiis & Prælaturis, aut super præcedentiis, aliisque præminentis, cæterisque occurrentis generaliter, inquit De Luca, hæc S. Congregatio cognoscit & determinat summarie & de plano, sola facti veritate inspecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel cum sufficientibus probationibus, per Scripturas, nullo tamen adhibito formali processu, cum Notario, & cum tela judiciali."

X. Stylus autem hujus Congregationis est, ut, si quis exhibito libello conqueretur, se à suo v. g. Episcopo gravatum, scribat epistola familiaris nomine Congregationis signata per Cardinalem Præfectum, & Secretarium cum incluso libello supplicis ad Episcopum, vel alium Superiorem, ut super expositis in libello supplicis Congregationem informet; qua informatione habita, si Congregatio videat, quod circa facta conveniant; totaque diffi-

cultas ad punctum juris reducat, tunc negotium in Congregatione discutitur & resolvitur; ipsaque resolutio rursus per litteras ut ante signatas intimatur.

Si verò informatio accepta ipsi Congregationi non appareat sufficiens, aut super factis non conveniat cum libello supplicis, tunc Congregatione interdum per alias litteras libellum supplicem pro ulteriori informatione mittit ad Metropolitanam, aut viciniorum Episcopum, vel etiam aliam personam in dignitate constitutam.

XI. Idem est Congregationis stylus, quando quæstio seu controversia agitur inter ipsos Regulares; hoc uno excepto, quod hoc casu litteræ pro informatione inscribantur Procuratori Ordinis, qui in Curia semper assistit; quandoque tamen & ipsi Generali Ordinis; à quibus accepta informatio (si Congregationi insufficientis, aut minus sincere appareat, nec in factis conveniant) capiuntur alia informationes eâ viâ, quæ Congregationi videtur opportunior.

In hac Congregatione, quemadmodum nec in aliis Congregationibus Cardinalitibus, non admittuntur reculationes ex causa suspicionis, sive susceptionis, uti monet De Luca *disc. 16. n. 6.*

XII. Moribus hodiernis, præsertim Belgicis, controversia inter Regulares & Episcopos aut Parochos sæpe solent in possessorio tractari coram Tribunalibus Regiis, & in petitorio apud iudices Ecclesiasticos ordinarios, aut Delegatos in Paribus.

CAPUT VII. De Sacra Congregatione Rituum.

- 1 In quem finem hæc Congregatio instituta?
- 2 Qui huic Congregationi interveniant?
- 3 Præcipue circa ritus Ecclesiasticos occupatur.
- 4 Alia subinde quæstiones ad illam mittuntur.
- 5 Hæc quæstiones etiam ad alias Congregationes interdum mittuntur.
- 6 Stylus hujus Congregationis.
- 7 Congregatio super Canonizatione Sanctorum hodie ab hac nonnihil diversa, & qui hanc constituunt?
- 8 Describitur compendiose modernus ritus Canonizationis.
- 9 Canonizatio Sanctorum hodie privativè ad Sedem Apostolicam spectat.
- 10 Olim sola Episcoporum auctoritate aliquis ut Sanctus Publicè coleretur.
- 11 Id sine multis ceremoniis peragebatur.
- 12 Sedes Apostolica Canonizare rennebat sine assensu plenarie Synodi.
- 13 Primus cum suo Consistorio Canonizavit Eugenius III. quem sequentes Pontifices sunt imitati.
- 14 Saeculo XII. Pontifices Canonizationem Sanctorum sibi privativè reservare cœperunt.
- 15 Etiam Beatificatio Sedis Apostolicæ reservata.
- 16 Belgium publicum Sanctorum cultum à privato aliquando distinxit.
- 17 Hic privatus cultus Decreto Urbani VIII. sublatus videtur.
- 18 De ritibus Ecclesiasticis jam pridem Episcopi judicaverunt.
- 19 Pius V. vetuit aliquid immutari circa Breviarium Romanum inconsulta Sede Apostolica.
- 20 Ecclesia quæ receperunt Breviarium Romanum nihil circa Breviarium mutare possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ.
- 21 Auctoritas mutandi aut corrigendi Breviaria mansit integra penes Ecclesias, quæ non receperunt Breviarium Romanum.

I. Hanc Congregationem unâ cum pluribus aliis primum instituit Sixtus V. in Constitutione 74. in Bulla-

Bullario Romano, eique quinque Cardinales præfecit; quibus, ait, hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, à quibusvis personis diligenter observentur, ceremoniæ si exoleverint, restituantur, si depravata fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, & ceremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cærimoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent, officia divina de Sanctis patronis examinent, & nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant, antè circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, & recte, & ex Patrum traditione fiant."

II. Ex his colligitur, quod si primævam hujus congregationis erectionem attendamus, soli quinque Cardinales eam constituant; at hodie præter Cardinales, quorum numerus dependet à beneplacito Papæ, interveniunt huic congregationi plures prælati, quorum unus est Secretarius (inquit Cardinalis De Luca in Relatione Romanæ Curie *discursu 18.*) ac etiam aliqui Religiosi Theologi Professores, & præ cæteris Magister Sacri Palatii, & Sacrista Papæ; ac etiam unus aut plures Magistri cærimoniarum Papæ.

III. Ulterius ex citatis verbis constitutionis colligitur, quod primarius finis institutionis hujus congregationis sit, ut omnia in divinis officiis, Sacramentorum administratione atque Dei cultu ritè & religiose, prout dignitas ac majestas tanti operis exigit, peragantur; nihilque in ritibus aut ceremoniis irreligiosum aut indecens occurrat: ac per consequens, Cardinales, aliosque ad hanc congregationem spectantes, oportere multum esse versatos circa verum ac legitimum Ecclesiæ sensum in ritibus ac ceremoniis præscribendis; nec non in discernendis ritibus quos Ecclesia jam pridem probavit, & ad populi devotionem excitandam, ipsiusque divini operis majestatem imprimendam induxit, ab illo, quos posterioribus sæculis vel irreverentia, vel superstitio, vel avaritia, vel Prælatorum & Pastorum incuria aut ignorantia invexit.

IV. Præter quæstiones, quæ ritus cærimoniasque concernunt, quæque primario ad hanc congregationem spectant, plures alia etiam quæstiones ad ipsam referri solent, ut V. G. precedentiarum, aliarumque præminentiarum in processibus aliisque publicis functionibus; aut etiam super jure funerandi, vel celebrandi officium funebre aliisque quæ Divinum Officium turbare possent; quæque eò pertinent, ut ritè & recto ordine omnia in Ecclesia peragantur.

V. Hæc tamen quæstiones, præsertim si inter Regulares incidant, non raro ad congregationem super negotiis Episcoporum & Regularium mittuntur, atque ab ea deciduntur; adeo ut privativa singularis cognitio hujus congregationis Rituum, (quemadmodum monet De Luca in *Relat. Curie R. disc. 18. num. 24.*) versetur in præscribendis ritibus in divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum.

VI. Stylus hujus congregationis circa examen controversiarum, earumque decisionem, nec non scriptionem litterarum planè conformis est stylo, quem observat congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium, qui capite præcedenti descriptus est.

VII. Juxta constitutionem Sixti V. eadem congregatio, quæ de ritibus & ceremoniis Ecclesiasticis cognoscit & statuit, curam quoque habere debet circa Canonizationem Sanctorum. Inspectâ nihilominus hodiernâ praxi Curie Romanæ, congregatio super canonizatione Sanctorum vel eorum Beatificatione nonnihil ab hac diversa est; eamque Cardinalis De Luca *extrordinariam* vocat; eo quod in ea ultra Cardinales & Prælatos ad congregationem Rituum spectantes, quasi extra ordinem adjuvantur alii Prælati; nimirum Promotor fidei, tres seniores Auditores Rotæ, qui

tamquam periti Canonistæ munus Assessorum gerere videntur. Unus quoque ex Prothonotariis participantibus. Adhibentur quoque alii Theologi, qui consultores, vel respectivè Qualificatores dicuntur. Quin & pro consilio adhiberi solent Medici & Philosophi alique Professores, qui judicent, an operationes quæ miraculis adscribuntur, revera divici debeant supernaturales, an verò proveniri nequeant à causa aliqua naturali.

VIII. Postquam verò probationes maturè in pluribus congregationibus discussæ fuerint, atque negotium canonizationis jam præparatum est, tunc habetur congregatio magis solemnior coram ipso Pontifice, qui audit voto Congregationis interponit quidem Decretum super Beatificatione aut concessione cultus particularis in aliqua Ecclesia aut Ordine, sed canonizationem seu absolutam adscriptionem in catalogum Sanctorum non decernit.

Sed hoc examine peracto in hac solemniori congregatione coram Papa, aliud instituitur in pleno consistorio secreto; ac denique habetur consistorium solenne & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui in Curia præsentibus sunt, quorum omnium etiam votum exquiritur, per quamdam Concilii (cui pridem Sanctorum canonizatio deferrebat) imaginem.

In hoc consistorio præmissis precibus aliisque ceremoniis, quæ in cærimoniali Romano *lib. 1. sect. 6.* latè describuntur, instante Procuratore causæ Pontifex alta voce sedens cum mitra pronuntiat in hunc modum: "Ad honorem Sanctæ Individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostræ, de Fratrum nostrorum consilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse & Sanctorum catalogo adscribendum, ipsiusque catalogo hujusmodi adscribimus."

IX. Si modernam Ecclesiæ disciplinam spectemus; hoc canonizationis negotium privativè ad hanc congregationem spectat, nullus enim hodie tamquam Sanctus de novo colitur, & honorari publicè potest, nisi per Pontificem ritu jam descripto in catalogum Sanctorum relatus; seu ut vulgò dicitur canonizatus fuerit.

X. Multis quidem sæculis auctoritate Episcopali hæc canonizatio sive relatio in Sanctorum catalogum facta fuit; idque sine ullo exteriori penè ritu seu cæmonia.

XI. Cum enim Episcopis de sanctitate vitæ alicujus defuncti sufficienter constaret, facultas dabatur populo eum publicè tamquam Sanctum colendi; ejusque reliquiæ publicè populi venerationi exponerentur; atque hoc simpliciter ritu Sanctorum catalogo adscriptus censebatur.

Unde Baldericus Tornacensis Episcopus *lib. 1. Chronici sui Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ cap. 35.* describens canonizationem Hadulfi Episcopi Atrebatensis per Enggranum Episcopum Cameracensem, simpliciter dicit: *Sanctum corpus levavit*; id est publicè expoluit. *In qua elevatione, ad declaranda Sancti Viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu miracificè liberata est. Unde Episcopus laus, verbo facto ad populum, Beati Hadulfi solemniter in numero Sanctorum notificavit.*

Et de Oberto Leodiensi Episcopo scribit ad annum decimum sæculi duodecimi Sigebertus Gemblacensis: "Sanctus Guibertus Fundator Gemblacensis Monasterii, quem Deus multis miraculis per annos 12. clarificaverat, assensu generalis Synodi ab Oberto Legiensis Episcopi copo elevatur, cum miraculi concursu & gaudio populo."

XII. Circa sæculum undecimum hæc canonizatio à Sede Apostolica postulari à nonnullis cœpta fuit; sed eam non nisi comprobante generali Synodo annui consuevisse, respondebant Pontifices.

Benedicto Rempeslegiensis Abbati, Guolgosium Antecess.

tecessorem suum canonizari postulanti, facile concedi non potest, respondit Urbanus II. hanc addens rationem: "Non enim Sanctorum quisque debet Canonibus admitti, nisi si & testes ad sint, qui ejus miracula vultu suis oculis attestentur, & plenarie Synodi firmentur assensu.

Similiter Ulricus Constantiensis in Germania Episcopus, Sanctum Conradum Antecessorem suum canonizari supplicans, ad crebras suas literas hoc immutabilis sententiae responsum accepit à Romana Ecclesia, vitam ejus in Concilio recitandam & comprobandam fore generali. Hæc ex Chronico Ecclesie Constantiensis recitat Christianus Lupus tom. 3. *Scholiorum pag. 569.*

XIII. Notat autem ibidem, quod primus fuerit Eugenius III. qui sine Concilio solus in suo Consistorio canonizavit Sanctum Henricum de potestatis plenitudine, usus hoc fundamento, quod *Romana Ecclesia auctoritas sit omnium Conciliorum firmamentum*; tamen unà tateretur, quod *hujusmodi petitio Canonizationis, nisi in generalibus Conciliis admitti non solet.* Extat diploma Canonizationis tom. 1. Bull. R. pag. 61. "Quem (Eugenium) ait Lupus, in Sancto Eduardo, & S. Thoma Cantuariensi Alexander III. & in aliis Sanctis canonizandis alii Pontifices sunt deinceps imitati."

XIV. Quin & circa idem tempus, Pontifices sibi auctoritatem canonizandi privatim ceperunt reservare; eaque reservatio generaliter & ab omnibus tandem Ecclesiis recepta fuit, potissimum auctoritate cujusdam Decretalis Alexandri III. relata in Decretis Gregorii IX. in *Cap. 1. de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, afferentis & edicentis: *etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romana Ecclesie venerari.*

Et de eodem Pontifice Alexandro scribitur: "Hic Papa constituit, ut nullus novus Sanctus in veneratione haberetur, nisi ex auctoritate Apostolica, & nisi sit canonizatus, à Papa tamen. Ante quilibet Episcopus suum Sanctum solemniter canonizavit." Hæc Lupus ex incogniti Scriptoris historica compilatione.

XV. Neque tantum Canonizatio sive relatio alicujus in catalogum Sanctorum, qua tamquam Sanctus toti Ecclesie proponitur, permittiturque, ut *publico cultu ubique & per universalem Ecclesiam, seu Sanctus colatur, hodie Sedi Apostolicæ reservata est*; sed etiam *Beatificatio*, qua permittitur non quidem *ubique & ab omnibus* tamquam Sanctus colij; at particulari dumtaxat Ordini, Provincia, aut Ecclesie.

XVI. Publicum Sanctorum cultum à privato olim Belgium nostrum palam distinxisse, advertimus ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgii ad 5. Januarii in Sancto Gerlaco, quod inter decantandas Litanias tum Sancti Canonizati sonora voce invocarentur; non Canonizati sine cantu rogerentur, quasi privata cujusque prece. Molanus enim de Beato Gerlaco Eremita in Territorio Falkenburgergeni agens ait: "Commemoratio ejus fit in vigilia Epiphaniæ Domini, sed quia non est canonizatus, Missæ Sacrificium peragitur de

æterna Sapientia, & dum canuntur *submissa* voce interse-

ritur, *Sancte Gerlaco ora pro nobis.*" XVII. Verum Urbanus VIII. plura circa Canonizationem Sanctorum servanda præscribens, Constitutione edita 3. Octobris 1625, inter cetera vetuit, ne cujusquam cum sanctitatis aut martyrii fama quacumque defuncti imagines aut quidquid venerationem aut cultus præ se ferat in Ecclesiis, Oratoriis, locis publicis seu privatis ante Apostolicam Beatificationem seu Canonizationem ponantur. Vide latius Zypæum *Consult. 2. de Reliq. & Venerat. Sancti.*

Hoc Urbani Decreto sublatum quoque esse prædictum *privatum* cultum olim Sanctis non canonizatis impendi solitum, obsecrum non est: quandoquidem dubitari nequeat, per illum aliquam venerationem impendi illi, quem populus, licet voce submissiore, tamquam *Sanctum* invocat: unde nec illi novo Sancto non canonizato, aut ut minus beatificato, hodie impendi similem cultum videmus vel audimus.

Privativè ergo ad Sedem Apostolicam hodie spectat Sanctorum Canonizatio & Beatificatio; eamque per hanc Congregationem, juxta ritum jam descriptum, expedire solet: neque aliæ Congregationes huic materiae se immiscent.

XVIII. Quoad ritus verò Divinorum Officiorum, de his Episcopos in sua respectivè Diocesi potuisse liberè statuerè & judicare, etiam usque proximè elapsum sæculum inclusivè, constat ex Synodis quas supra *tit. 16. cap. 9. allegavimus.*

XIX. At Pius V. Breviarium Romanum correctum evulgans, statuit, "Breviarium ipsum nullo unquam tempore, vel totum, vel parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum."

Hac proinde Constitutione factum, ut si quid *Breviarium Romano* judicaretur addendum vel demendum, aut ex parte mutandum, id à Sede Apostolica esset postulandum: quæ pro hujusmodi quaestionibus aut causis decidendis, Congregationem Rituum instituit.

XX. Quapropter, Ecclesie quæ Breviarium Romanum receperunt (uti penè omnes Ecclesie seculares Belgicæ) nulla nova Officia Breviario addere, vel vetera detrudere, aut lectiones, aliave in Breviario præscripta mutare, propria auctoritate possunt; sed ea à Congregatione Rituum & Sede Apostolica postulare & expectare tenentur & solent.

XXI. Ecclesie verò seculares, vel Ordines Regulares, in quibus usus Breviarii Romani non est receptus, etiam auctoritatem pristinam sua Breviaria revidendi, corrigendi & mutandi retinent; eaque pacificè utuntur; & plura tum Episcoporum, tum Prælatorum Regularium auctoritate Breviaria correctæ, & in aliam planè formam redactæ, hoc sæculo edita & evulgata vidimus.

Neque Ecclesie illæ, aut Ordines nova Sanctorum Officia, quæ hodie sub ritu duplici aut semiduplici à Congregatione Rituum frequentius prodeunt, passim recipiunt; sed præscripta Breviariorum suorum sequuntur.

- 11 *Quæ formâ abbreviaturæ expediuntur.*
- 12 *Præsidentes de majore Parco dubiaplura per modum Collegii decidunt.*
- 13 *Præsidentes de minore Parco quid agant.*
- 14 *Quomodo ex abbreviatura fiat Bulla?*
- 15 *Plures enumerantur inferiores Cancellaria Officialis, qui omnes sua habent emolumenta, quæ dicuntur taxæ Cancellariæ Apostolicæ.*
- 16 *In harum exactioe excessus repressus per Gregorium XV.*
- 17 *Habet Cancellaria suas Regulas, quæ Regulæ Cancellariæ dicuntur.*
- 18 *Hæ Regule pro directione Cancellariæ primitus fuerunt editæ.*
- 19 *Hæ Regule perpetuæ non sunt, sed à singulis Pontificibus de novo publicantur.*
- 20 *Hodie etiam quadam ex his Regulis extra Cancellariam se extendunt, & earum usus quoque in Belgio obtinent.*

I. Cancellarii olim dicti potissimum fuerunt qui ad *cancellas forenses* seu iudicium stabant. Papias: *Cancellarius, qui in cancellis primus est.* Hi supplicantes introducebant ad iudicem, ut legitur apud Casiodorum *l. 12. ep. 1.* ex quo satis colligitur, *Cancellarios* dictos, quod ad *cancellas* iudicium starent, eorumque iustitiam ac mandata exequerentur; patetque non exiguum fuisse eorum auctoritatem & dignitatem; uti ostendit Gothofredus *ad l. 3. Cod. Theod. De Assessoris.*

II. "Cancellaria, vox barbara, inquit Budæus ad Pandectas, usurpata pro loco, ubi publicæ litteræ à Scribis Principum & magistratum conficiuntur. Hinc Cancellarius dicitur, cujus ex primæ sunt partes, videre, ut nulla Principis constitutio, nulla sanctio, nullum rescriptum, nulli codicilli Regii, non è Republica; atque etiam à dignitate Reipublice principalique exeant." Hæc ille.

III. Legitur quoque in Ecclesiis Cathedralibus jam pridem munus Cancellarii fuisse, sigilla ad causas & negotia conferre, litteras Capituli facere & consignare, uti habetur in Statutis Leicheveldenis Ecclesie in Monastico Anglicano *tom. 3. pag. 24.*

IV. Quando verò Cancellarii munus ad eam pervenit eminentiam & prærogativam, in qua hodie in Romana Curia conspicitur, non omnino constat.

"Qui hujus eminentissimæ dignitatis originem ex antiquis historiæ monumentis cuquisserunt (ait Joannes à Chokier) tradunt illam demum post tempora Innocentii III. inventam, & erectam fuisse, eamque etiam exercuisse privatæ fortis homines, sed probitate & eruditione spectatissimos: postea sub Bonifacio VIII. dignitatem hanc uni ex Illustrissimis Cardinalibus tributam; idque ex congruentia rationis, & quoniam iustitiæ regimen penes Vice-Cancellarium residere, par erat munus illud commendare personis illustribus, in quibus maximè excellunt, familiarique ducunt Illustrissimis. Cardinales."

V. At illud quaeritur, cur hodie, etiam Cardinale eo munere fungente, non dicatur *Cancellarius*, sed *Vice-Cancellarius*; quasi *vices* dumtaxat ageret Cancellarii. Varii varia commenta sunt, uti refert Cardinalis De Luca in Relatione Romanæ Curie *Discursu 10.* qui verisimilius credit, Vice-Cancellarium dici cœpisse, cum dignitas Cardinalitia ad tantum fastigium elevata est, ut non videretur huic dignitati Cardinalitæ congruere, assumere officium inferius sive Prælativum; quod tamen *provisionaliter*, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari non sit incongruum; quemadmodum & in munere *Datarii* praxis docet. Si enim Cardinalis eo munere fungatur, non vocatur *Datarius*, sed *Prodatarius*. Ergo illud adjectum, *vice*, quod partes *vicarias* denotat, non statum inferiorem, sed potius digniorem hic significat.

VI. Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinaliti-

um, eumque admodum conspicuum & illustrem, scilicet Ecclesie Collegiatæ S. Laurentii in Damaso: hicque commodam & amplam habitationem in insigni verèque Regio Palatio, quod *Cancellaria* dicitur: in quo ipsa *Cancellaria* tamquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliæque functiones publicæ peraguntur.

VII. Primaria & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica & solemnia, qualia sunt consistorialia aliæque plura, per ejus manus transeunt; adeo ut cum quadam proportione dicendus sit *Cancellarius* Papæ, eo modo, quo in singulis Diocæsis quilibet Episcopus habet Notarium & Cancellarium majorem, qui acta Synodalia & judicialia, ac etiam Pontificalia conscribit authentizat; uti notat Cardinalis De Luca loco citato *num. 5.*

Plures habet Vice-Cancellarius Officiales, quorum aliqui sunt majores Prælati, Prælaturam annexam habentes.

VIII. Primarius post Vice-Cancellarium est ille, qui dicitur *Cancellaria Regens*. Hujus non exigua est auctoritas, quæ ad longum describitur in ultima Regula Cancellariæ, quæ inscribitur: *De potestate Reverendiss. D. Vice-Cancellarii, & Cancellariam REGENTIS.* In primis ipse revidet Bullas expeditas & promulgatas, & si quis error irrepererit, eum corrigi; ac ad calæm Bullæ reformatæ manu sua scribit: *Correcta prout jacet.*

IX. Præterea inter Officiales Cancellariæ, qui Prælaturam habent, sunt Præsidentes de *majori* vel *minori Parco*; ita dicti à loco Cancellariæ in quem conveniunt, qui vulgò *Parcus* dicitur.

X. Hi de *majori Parco* nominantur etiam *Abbreviatores* à conficiendis litterarum Apostolicarum *brevis* sive minutis; quas ex signatura Cardinalis Vice-Cancellarii ejusdemque *contra-cedula*, tamquam matrice conficiunt.

XI. Pro quo notandum, quod facta in consistorio provisione per Pontificem de Ecclesia Cathedrali, Cardinalis Vice-Cancellarius accipiat Decretum provisionis Papalis, illudque in libro materialium consistorialium consignet sub hac formula: *Roma apud Sanctam Mariam Majorem.*

Cardinalis Vice-Cancellarius accipit Decretum provisionis Papalis, quod consignat in libro materialium consistorialium sub hac formula: *Roma apud Sanctam Mariam Majorem die.... mensis.... anno.... fuit Consistorium in quo Sanctissimus Dominus noster, referente Cardinale N. providit Ecclesia N. per obitum N. vacanti de persona N. cum retentione comparibili, absolute, Clausulis & c.* Post hæc Cardinalis Proponens conficit *scdam* sive *scdulam*, quæ dicitur, *scdula Consistorialis Cardinalis Proponens*, per quam significat Cardinali Vice-Cancellario Pontificem in consistorio providisse tali personæ de Ecclesia Cathedrali; quæ recepta Vice-Cancellarius conficit aliam *scdulam*, quæ vocatur, *contra-cedula*, in qua summarè narrat, qualiter Pontifex in consistorio providerit Ecclesie N. de Episcopo & Pastore; eamque *scdulam* Secretarii sui subscriptione, proprii sigilli impressione, & manus suæ subscriptione munit.

XII. Ulterius Prælati de *majori Parco* quoddam quasi Tribunal constituunt, in quo collegialiter convenientes decidunt dubia, quæ ori contingit super litterarum formula, vel clausuris, & Decretis in eis adiciendis, ac etiam super emolumentorum solationibus aliisque contingentiis.

XIII. Prælati de *minori Parco* (ait Petrus Gattelius in sua praxi Curie Romanæ pag. 24. edit. 1693.) proprie sunt *Officiales otiosi*, exiguum habentes jurisdictionem; in id unum intendentes ut Bullæ ferantur & tradantur Prælati de *majori Parco*.

XIV. Facta minutâ per Prælatum seu *Abbreviatorem* de *majori Parco*, qui est in turno, mittitur deinde ad alium *Abbreviatorem* ut eam revideat; quæ revisa traditur Scriptori Bullarum.

Tum per Apostolicos Scriptores, ait De Luca, juxta eorum formulas efformantur litteræ, quæ *Bullæ* dicuntur, sub plumbo, in ejusdem Vice-Cancellarii aula seu palatio, quod

TITULUS XXIII.

De Officialibus Curie Romanæ.

CAPUT I.

De Vice-Cancellario, & Cancellaria Romana.

- 1 *Cancellarii olim unde dicti, & eorum dignitas.*
- 2 *Cancellaria quid significet?*
- 3 *In Ecclesiis Cathedralibus jam pridè erat Cancellarius.*
- 4 *A quo tempore creverit auctoritas Cancellarii Romani.*

- 5 *Quare vocetur Vice-Cancellarius?*
- 6 *Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinalitiæ.*
- 7 *Graviora negotia in Cancellaria expediuntur.*
- 8 *Primus Officialis Cancellaria post Vice-Cancellarium, est Regens Cancellaria; & quod hujus officium?*
- 9 *Qui sint Præsidentes de majore vel minore Parco?*
- 10 *Præsidentes de majore Parco etiam dicuntur Abbreviatores, à conficiendis abbreviaturis.*

11 *Quæ*